

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4323

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

761

## P A T R I S T I C I .

762

2. observata est. Ineunt omissa Quaestione: *Quid est Deus?* ab Responso: *Deus est, quod nulla attingit opinio. Plus enim est. quam quicquid dici poterit aut cogitari &c. et procurrunt usque ad fol. 69. ubi legas: Explicit liber questionum XCIV. S. Augustini episcopi. et continuo*

III. fol. 69. *Incipit liber eiusdem de questionibus XXI. et praemisso earum Indice Quaestio I. Quid sit, ut maledictus dicatur, qui non reliquerit semen in israel. &c. Resp. Quoniam aliter, quam dictum erat, intelligi ceperat &c. Quaestio haec in Editis est XVII. de Veteri Testamento. Itaque vides in Codice nequaquam custodi-*

ri ordinem et divisionem, quam Mauriani observaverunt. Habent enim illi praeter jam memoratas *Quaestiones V. et N. Testamenti a col. 89. novam Seriem Quaestionum Ex utroque mixtim*, quam Codex ignorat, ejusque Quaestiones passim cum aliis confundit. Postrema ei est *De Libro Genesis*, quae in Editis col. 101. legitur, et multas alias post se habet *Augustino* non magis dignas, quam sint omnes ceterae.

Codicem antice Fragmentum membraneum tegit Historiae Evangelicae in rhythmos redactae eleganter 2. columnis exaratum, cuius en specimen:

*Amen dico omnibus, nullus demonstratus  
Est maior, a femina dicitur qui natus,  
Johanne, quo dominus fertur baptizatus.  
Filius sed virginis maior est probatus. &c.*

## CCCLIII.

U. 91 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 144. 4. a diversis manibus conscriptus, rubricis distinctus et a. 1540. ab Job. Fabro Ep. nostro additus suo ad D. Nicolaum Literis studentium Contubernio e sequentibus Opusculis consarcinatus est: I. *Incipit prologus Libri dyalogorum Beati Augustini Episcopi percundante Oroso presbitero. Testibus Maurianis T. VI. Append. col. 7. Codex unus Vatic. eodem modo inscribitur. Prologus iste init: Licet multi doctissimi et probatissimi viri &c. Prima vero Orosii sic dicti Quaestio: In primis que-*

*ro a te. Vtrum deus trinitas sit &c. Responsiones partim certe ex Augustino, partim vero ex aliis de promtate sunt, quos vide l. cit. in Monito praevio. Quaestiones LXV. sunt, et in Codice, ut in Editis, finiunt.*

II. fol. 26. *Formula, ut e calce praeoccupo, honeste vite secundum beatum Jeronimum. Incipit: Petis a me mi frater carissime quod nunquam et nusquam &c. Monita opportuna quidem, sed tam parum Hieronymi, ut ne quidem Bernardi, cuius T. V. edit. Maur. col. 794. prostant.*

III. fol. 29. *Epiſtola, ut rursus in calce, Beati Bernardi ad quen-*

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4323

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

763

C O D I C E S

764

*dam militem de Cura domestica.  
Inscriptio: Gracioso et felici mili-  
ti Raymundo Domino Castris Am-  
broſij Bernardus in ſenium addu-  
gus. Initium: Doceri petis a nobis  
&c. Ut non ſemel Vol. ſuper. re-  
latum. Bernardus is non Claraeval-  
lensis eſt, ſed Silvester Carnotensis,  
de quo vide Fabricii Bibl. med.  
et inf. Lat.*

*IV. fol. 32. e calce: Proverbia  
Seneca. Excerptoris eruditionem  
ex ingressu diſce: Lucius anneus  
ſeneca de grecis fuit. locus eius in  
regione neronis &c. Ipsa Prover-  
bia non raro olim edita.*

*V. fol. 37. Egloga kigbaldi  
(pro Hugbaldi, Hucbaldi &c.) de  
Caluis. Sed praecedit fol. 36. In-  
vocatio poete, quam integrum huic  
transferre placet.*

*Musa, decus uitatum, moderato, polymnia! gressum (moderare?)*

*Accelerans laetum Hattonis cernere vultum. (laetos vultus?)*

*Praefulſis, officio comple, quod nomine signas.*

*Pangito priſcorum memorans monumenta virorum,*

*Queis conſtat vatum non displicuisse Camenas,*

*Sed multis cumulaſſe viros pro carmine donis.*

*Minciadae quid contulerit ſua muſa Maroni,*

*Testis adeſt orbis vulgans ſua famina paſſim.*

*Naso quid Ovidius, quid Porphyriusve Poetae, (Publil. Optat.)*

*Exiliū poenas quorum ſolvere Camenae.*

*Auguſto metri cum xenia Graeculus olim*

*Saepius afferret, ſed praemia nulla referret,*

*Non prius audaces voluit compescere muſas,*

*Distichon eliceret tanto de Principe donec,*

*Redderet et geminos gemino pro carmine numos.*

*Se memorans largum, regem ſic carpſit avarum,*

*Multiplicemque ſibi ſummam pro fenore ſumpſit.*

*Addatur corvus humana voce ſalutans:*

*Caesar, ave! ſpretis querulus qui vocibus inſit,*

*Impenſas operis proprii periſſe magiſtri, (operae?)*

*Augustus pretio quem mox mercatur enorſi.*

*Temporibus priſcis ſummorum more potentum*

*Muficanis haec lex fuerat ſervata Poetiſ,*

*Munere ne vacui calamo triviffe labella (vacuos?)*

*Poeniteat, neque ſe vano ſudaffe labore.*

*Ebeu ſi perit haec forſan, ſtudium perit omne*

*Discendi, dum nullus onus dependitur arti. (honos)*

*Heu cadiſ in quemquam ſcelus hoc, qui rite vocetur*

*Princeps atque potens! Taceant ſi forte Camenae*

*Dogiloquae, Calvis quisnam, rogo, carmina laudis.*

*Componet pulchris? Quisnam, rogo, plena cachinno*

Ob-

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4323

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

765

## P A T R I S T I C I .

766

*Obstruet ora canum circumlatranta Calvum?  
 Candiduli Calvi, concurrete, ferte juvamen,  
 Tuque decus summum, Calvorum gloria, Calve!  
 Nostra ad vota fave, perque omnia prospera salve,  
 Perspice prudenti perlustrans pectore parva  
 Munera Musarum miris modulata melodis.  
 En tibi centenos, terdenos, bis quoque ternos, (ergo 136.)  
 Quae centum signat, quae Calvis nomina praefat,  
 Quae frontes pingit configens cornua lunae, (Supercilia)  
 Quae theatrum format, comprehendit litera versus  
 Non modo principia his, sed singula verba regyrans.  
 En corvus crocitanus te, Princeps magne, salutat,  
 Nec tamen effundit querulas pro munere voces,  
 Impensas neque caussatur periisse laboris;  
 Nec volo me, carmen studui qui cedere laudes (claudis?)  
 Calvorum, quisquam privatum munere dicat,  
 Censeat, aut credat. Sunt nam mibi praemia quaestus  
 Maxima, nosse Virum cunctis per cuncta verendum,  
 Et quia me tantus dignatur noscere Praeful,  
 Quem, peto, Rex Regum, cum sederit arbiter orbis,  
 Inter Pontifices faciat residere beatos  
 Aetherei tribuens illi consortia regni.  
 Sic sit Amen! Chorus hoc Calvorum praefat omnis. (postulat?)*

*Hugbaldi nostri Elnonensis ad  
 S. Amandum in Hannonia Monachii Scripta enumerat Fabricius in  
 Bibl. med. Lat. nec tamen aut ille,  
 aut eorum aliquis, qui Carmen ejus de Calvis edidere, puta Basileae 1516. 1546. 1550. Lovani 1546. Casp. Dornavius in Amphith. Sapientiae Socrat. T. I. Casp.  
 Barthius Adversarior. L. XLVI. notitiam Invocationis, quam hic evulgo, habuere. Directa est illa ad Hattonem Praesulem Moguntinum ejus nominis certe primum, qui a. 912. decepsit, Hugbaldo vitam ad a. 930. porrigente. Atque vel ex hoc utriusque aevo suspicari quis posset, infirmo niti talo, quod post Sigebertum Gemblac.*

*c. 107. omnes adoptaverunt, Hugbaldum Carmen suum de Calvis Carolo Calvo Imp. inscripsisse. Praeterquam enim, quod Carolus jam a. 877. adeoque 53. annis ante Hugbaldum defunctus est, eoque defuncto Hatto demum ad sedem Moguntinam pervenit, neque in ipso Poematio, neque in adducta Invocatione quidpiam legitur, quod liquido demonstret, Carolum peti. Nam illa Invocationis: Calvorum gloria, Calve! item: Princeps magne! quid vetat de Hattonne Archiep. intelligi, de quo affirmit Ekkehardus de Casib. Monast. S. Galli c. 1. eum cum Salomonem Ep. Constant. post Regem (Ludovicum IV.) imperium tenuisse,*

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4323

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

767

C O D I C E S A T

768

iffe, et *cor Regis* dictum fuisse. Accedit Codex *m.s.* apud *Serarium Rer. Mogunt.* L. IV. qui testatur *Hattoni* ab eodem *Hugbaldo* Librum suum *de Musica* dedicatum fuisse. Obponi tamen possunt, cum Versus illi ad *Carolum Calvum*, quibus *Hugboldus Milonis* magistri sui Librum metricum *de Laude Parcitatis* comitatus est, quosque e Cod. *Elnonenſi* protulit *Martennius* T. I. *Theſ. novi Anecdot. col.* 45. f. tum illi, quos e *Bohemia*

sibi adlatos *Barthius supracit.* c. 22. ipsi Poematio subjunxit, qui tamen rursum ad Poematii Corpus pertinere nequeunt, cum sint numero XV. singuli vero Articuli Poematii non nisi Versus X. censemant. Itaque, si genuini sunt, Praefaminis aut Postfaminis instar haberi debent. At sic nova difficultas oritur; habemus enim Versus 151. contra ipsum *Hugboldum*, qui supra in *Invocatione* sua dixerat:

*En tibi centenos, ter denos, bis quoque ternos.*

Quidquid igitur hunc numerum excedit, interpolationem olet. Atque ab hoc neque Codex noster immunis est. Nam inter Decadem

III et IV. interserit sequentem: *Caluos cenobitas, psalmistas, Grammaticos esse atque poetas, scribas quoque et plurime abstinentie.*

*Carmina clarisone caluis cantate camene.  
Complures caluos cogunt castissima castra  
Celica certatim celebrantes cantica cristo.  
Corpore crine carent, conlustrant culmina celi,  
Celica concupiunt, cobibent curare caduca,  
Componunt cartas, concinnant carmina clara,  
Catholicum canon(em) certum conscribere curant,  
Conmulcant carmen, congestant corde calorem  
Constantem castum, communi currere cursu  
Contendunt celeres, celiique capeſſere culmen.*

Exacte haec *Hugboldum* referunt; in nulla tamen editione leguntur, totumque Poematum ad versus 161. producunt, quod a successu temporis Autor ipse, an alias quis auxerit, dicere non habeo; illud tamen obſervo, Sententias *Invocationis* noſtræ multum

congruere cum iis, quibus *Milo Patruus* et *Praeceptor Hugboldi* Praefationem metricam in suum *de Laude Parcitatis* Librum informavit, ut videre est apud *Martennium* l. *suprac.* Ceterum Emen- dationes quasdam Textus *Barthiani* adjicere lubet.

Editio.

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4323

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

769

## P A T R I S T I C I .

770

## Editio.

- Prooem. collatrent criminē claros.  
 C. I. capitē cervicē calva corona.  
 contemnēt cunctā.  
 C. II. claro clamore.  
 Continuantque choros.  
 classica clangent.  
 C. III. cedunt consulta.  
 C. VI. Cum calvis cirrose.  
 coetum curavit.  
 C. VII. conspergēt calvos.  
 C. VIII. Calcentur coeno calcando  
 culmina.  
 Clarisonum calvum.  
 C. IX. Circumfulgentē charismata.  
 Cuspide, conto.  
 C. X. calvos cantate choreis.  
 confundit cirros.  
 C. XI. corrādere calvos.  
 C. XII. comprehendit cīclūm.  
 cognoscite centrum.

## Codex.

- concludant carmine curas.  
 calvi capitē cervice corona.  
 contemnēt cunctā.  
 celso clamore.  
 Continuantque choro.  
 classica clangunt.  
 condunt consulta.  
 Corde cavus cirrose.  
 Cetera curuauit.  
 conspergēt calvo.  
 Calcetur ceno calcanda calumnia.  
 Clariuidum calvum.  
 Circumfulgentē charismate.  
 cuspide conti.  
 calvo celebrate choreas.  
 confundit cirros.  
 corrodere calvos.  
 comprehendit ciclum.  
 cognoscito centrum.

Praeterea ubiunque Barthius legit Cerritus, reponendum putem Cirritus vel Cirratus Calvi ἀντιθέτοι.

VI. fol. 42. Luciani opusculum per aurispam a greco in latinum translatum. Ita prima manus minio, sed recentior Rinucium Aurispae imposuit. Agitur autem de Dialogo Χαρωνος και Εργας και Νεκρων διαφορων, qui inter Dialogos Mortuorum in edit. Reitz. Amst. 1743. T. I. p. 363. numero Decimus est, probe distinguendus a Quarto Εργας και Χαρωνος, quem et ipsum a se latine redditum Alam. Rhinuccius Florent. Johanni Card. Morinenſi dicavit, Ang. M. Bandinius T. III. Codd. lat. Bibl. Med. Laurent. col. 266. msptum refert, Andr. vero Cratander et Servat.

Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

Cruftanus Basileae 1518. 4. impressum dedere. Jam vero Decimum nostrum et Job. Aurispa Siculus, et Rinutius vertisse dicuntur, prostantque Versiones ambae apud Bandinium mox cit. T. III. col. 634. et 653. Interpretum nomine insignitiae, prior quidem absque Prologo, altera eodem Prologo, quem et Codex noster exhibet, instrueta. Atque utinam ex isto Prologo disceremus, ad quem directus fuerit! Video quidem Cod. CCCCXCVIII. Bibl. Lat. D. Marci, Venet. 1741. p. 202. citari Versionem Rinuccii Dialogi Luciani Charontis et Mercurii ad Franc. Bonacursum, sed nihil ultra. Praeterea initia et fines utriusque Versionis, quantum inde ad fert

Ccc fert

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4323

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

771

## I C O D I C E S I

772

fert *Bandinius*, nil differunt, ut adeo subvereat *Aurispae* fieri injuriam, erroremque ortum confusione *Dialogi X.* cum IV. quem certe vertit *Rinuccius*, ut supra vidimus. Confirmat metum meum silentium solertissimi *Apost. Zeni*, qui *Dissert. Voss. 83.* *Rinuccius* Scripta percenset, confirmat denique, qui in praedicto Prologo memoratur, *Johannes Symomachus* aut, ut apud *Bandinium*, *Simonacbus Protopapa*, cui Autor tribuit, quidquid graecarum literarum ad nos effulgit, id quod ad *Aurispae* patriam *Siciliam*, quam ad *Hetruriam* referre mallem. Statuent Literatores *Itali*. Prologi initium est: *Sepe et multum ea mente cogitau &c.* eumque integrum dedit *Bandinius*; *Dialogi: Audite quo quidem pa&gt;no nostra se negotia habent &c.* Finis: *Atque uitam cuiusque examinare necesse est.* Codex mendis laborat.

VII. fol. 45. Exercitia II. scholastica, quorum prius inscribitur *Declamatio peregrini veneti*, et Controversiam duorum *Lesbiae Procorum Albini et Phaleri* exhibet, e quibus ille ad probandam constantiam a *Lesbia* missus erat, ut totam noctem in sepulcro *Glauci* cujusdam exigeret, hic vero, ut *Glauci* ipsius cadaver adferret. Adtulit *Phalerus* pro *Glauco* ipsum Rivalem. Nunc contendunt, quis Virgine potiretur. Alterum *Dialogus* est sat fescenninus, cuius interlocutores *Anorietta*, *Secius*, *Fulcius* et *Ronchius*. In utroque parum ingenii et elegantiae, ast eo plura σφαλματα.

VIII. fol. 48. p. 2. *Incipiunt Enigmata Symphosij.* Primus haec *Aenigmata*, ternis singula hexametris constantia, atque a *Guil. Crucio* e Biblioteca Cormoeriacena ad se missa *Parisis* primum edidit *Joach. Perionius* O. S. B. a. 1533. apud *Lud. Cyaneum*, non a. 1537. ut visum *Hambergero* in *Zuverl. Nachr. P. II. p. 688.* 8. Autorem in Codd. mss. *Sympofsum*, *Sympofrum*, *Symposium* dici invenias. Meminit ejus *Aldbelmus Scot.* Sec. VII. *Sigebertus Gemblac.* c. 132. *Anonymous Mellic.* c. 73. At vero nomen hoc adpellative sumendum pro Convivio seu Compotatione, ἀπὸ τοῦ Συμποσίου, autoremque horum *Tειστχων* esse *Coel. La&gt;antium Firm.* contendit *Cpb. Aug. Heumannus* in eorum editione *Hanoverae 1722.* 8. quin tamen persuaderet *J. Alb. Fabricio*. Illius argumenta habes in *Praef. edit. cit.* hujus vero in *Bibl. lat. L. IV. c. 1.* et *Bibl. med. Lat. L. XI. edit. Mans. p. 234.* Editores *La&gt;antium Parisini 1748.* *Sympofsum* quidem T. II. p. 251. inferuere; stant tamen potius a *Fabricio*. Illud certum est, *La&gt;antium*, *Hieronymo Scriptt. illustr.* c. 80. teste, scripsisse olim *Sympofsum*, medium item Aevum facile ejusmodi Collectionibus imposuisse nomina, ut confirmant *Homiliarius*, *Legionarius*, *Scintillarius*, *Fascicularius*, *Remedarius* et multa alia, a quibus *Sympofsum* parum abludit, cui nomini ansam dedisse videntur primi duo Versus *Praefationis*, quae in nostro Codice *Conclusio* est:

*Hec*

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4323

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

773

## P A T R I S T I C I .

774

*Hec quoque symphosius de carmine lusit inepto  
Sic tu sexte doces, sic te deliro magistro;*

quos quis a Sciole quodam praefixos credere possit, cum eos in Cod. Cormoeriaceno non invenerit Perionius, salvoque sensu abesse queant. Jam quod in commune consulat Codex noster, exiguum est; mendis enim scatet, et VIII. Aenigmatibus infra C. est. Sunt autem haec: *Grus. Thus. Myrrha. Mola. Calx. Scopa. Conditum. Olla.* Quod Parisinis n. 72. *Follis* et n. 73. *Lapis*, nobis prave inscribitur *Uter et Navis*. Interim malim tamen in *Praef.* nostrum: *de nomine nugas, prae de carmine nugas. Aenigm. 1. diverso et munere, prae diversa et munera. Aenigm. 2. digitis signata magistris, prae ministris &c.*

IX. fol. 55. Scripta quaedam Petri Luder de Kislau, quod est Provinciae Spirensis Oppidum, et quidem 1) *Oratio habit a coram tota uniuersitate almi studij Haydelbergen. Idus iulij 1458. &c.* Incipit: *Postea uero quam ab infancia pene, Rector &c. Inquam enim postea quam ab Infancia pene duris sub preceptoribus rudia artis grammaticae elementa inbibisssem, et in hac nostra achademia pro ingeniali mei paruitate optimis sub arcium Doctoribus filogisticas loyce immo daciones percepisssem, adolescencie mens mee uaga errabundaque nec patrio contenta solo, alienos me mo res loca atque flumina imuisere stimulauit &c.* Itaque Italia tota, Albania, Macedoniaque peragrata, ingrauecente estate et iam tempo-

ra sparsa canis habens Patriam repetiit *Heidelbergae Historiographos, Rethores et Poetas publice interpretaturus*, cui muneri pro lusit hac *Oratione*, quae argumen to est, eum Antiquis lectan dis tempus in *Italia* utiliter trivisse, facemque multis praetulisse in sua *Germania*. Narrat inter alia, dum *Patavii superioribus diebus Johannes Crydwiss* (Kreideweiss) *de Esslingen Universitatis Rector*, quem apud *Papadopolum* non reperio, suum in utroque iure rigorosum examen instituisset, exclamasse ad praesentes Doctores celebrem ICtum Antonium Rosellum: *Velle legibus posthabitatis bisce me rebus omnem impendisse operam! O studia humanitatis omnibus appetenda!* 2) *Intimacio Poete* (Luderii) *contra artistas In studio haydelbergen. 1457.* Προγεαμ μα videlicet, quo invitat ad *Orationem de laudibus philosophie hodie hora undecima in stuba fratrum augustinen. audiendam.* Incipit: *Jam dudum princeps dyaletica atris accincta serpentibus firmissimum hic sibi domicilium constituens Sorores alias extorres esse ac exulare permisit.* Vides scintillam, quae deinceps in incendium et *Obscurorum Virorum Epistolas erupit.* 3) *Laus friderici (I. Victoriensi 1476) Ducis Bauarie Co. palatini.* Initium Panegyrici: *Grandem quippe materiam et quidem amplissimam V. C. cum badierna die infirmis me meis suscepisse hume-*

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4323

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

775

C O D I C E S A

776

*bumeris intelligam, optarem a summo optimoque Joue &c. Caussa, quod Autorem publice poetarum lectionis in hoc suo gymnasio dignum esse percensuit Princeps. Itaque laus Urbis, quam Galli a bacis virgulti minutissimi (Myrtilli) Heydelbergam nominarunt, quae etiam Marq. Freheri et Pauli*

*Vincere fortunam magis (plus?) est, quam monstra domare.  
Herculeo majus nomine nomen habet.*

4) *Debita Curialium Sacerdotum.* Minus apta inscriptio. Παραπομπή enim est in modum Epistolae ad Johannem Ernesti hominem quidem facrum, sed Friderici Principis negotiis aulicis ita immersum, ut inde morbum cardiacum contraherit, e quo cum convalescentem Luderus artis medicae, ut ipse ait, non imperitus invisisset, occasionem inde nactus suadet, ut corpus quietum et mentem tranquillam praebeat, evitetque ambitionem atque aridam auri habendi fitim, congestis in hanc rem plurimis Veterum locis. Initium est: *Cum nuper V. C. casum valitudinis tue peracerbum intelligendo una cum petro brechtel viro omnium humanissimo &c. Et finis: et auctoritate tua confirmes. Vale iterum et me tibi deditum babeto et commendatum. Datum Heydelberge 6°. nonas Madij (ab Italia relatum) 1458.*

*Corripio matres, gnatas ne numina ducant.  
Sanctorum spectare virum, nec grandia gesta &c.*

istud vero amatoriam Fabulam Gracchi et Poliscenes (Polyxe-

*Melissi fuit opinio, sed quid hic Galli? Laus ampla Friderici a stirpe, et Gestis, inter quae cum Victoria de foederatis Principibus a. 1462. relata non censeatur, Panegyricum hunc anteriorem aestate illius anni esse oportet. Desinit ille in versus, quos inter:*

En igitur Virum haud indoctum, cuius resuscitata memoria saltem Senatui Academico Heidelberg. jucunda esse possit.

X. fol. 80. *Tractatus Magistri Jordani de dignitate Imperiali.* Re-tuli Tractatum hunc etiam inscriptum de Translatione, item de Commendatione Rom. Imperii Vol. I. P. H. Cod. CCCXII. Exemplum praefens pariter Memoriale Jacobi Card. Columnae praefert, utiliterque cum praecedente ob varietatem lectionis contendit poterit. Cetera vide loco mox cit. Ad calcem: *Et tantum de Regibus. Anno &c. quinquagesimo quarto.*

XI. fol. 112. ἀνεπιγεαφως Co-moedia praemitto Prologo metri-co, et Argumento prosaico, quo-rum ille prosodia non parum va-pulante incipit:

nae?) in nuptias, uti mos, desin-  
tentem, et technas Gurgulionis  
(Cur-

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4323

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

777

## P A T R I S T I C I.

778

(Curculionis?) servuli expónit. Aetibus V. definitur Ludus Autoris *Plautinum* os adfectantis, qui est *Leonard*. *Brunus* dictus *Aretinus*, ut docet *Elenchus Codici praefixus*, et firmant Editiones in *Monaſt. Sorten*. fide *Deburii Bibliogr. instructive*, T. I. bell. Lett. p. 412. a. 1478. f. *Lipsenses* a. 1500. et 1514. 4. relatae a *Leibio Annal. typogr. Lips.* p. 77. et *Viennensis* a. 1516. 4. indica ta a me in *Hist. vernac. Typogr. Vien.* P. I. p. 147. ubi notavi Conatum hunc comicum juvenilem *Leonardi* jam a. 1444. vivis ex emti ignotum mansisse *Gesnero*, *Fabricio*, *Zeno*, *Hambergero*, quibus nunc *Mazzuchellum* addo.

XII. fol. 129. rursus ἀνεπιγεω φως Dialogus inter *Laur. Vallam*, *Podium Bracciolinum* vulgo dictum *Poggium*, et *Guar. Guarinum*, qui est prior duorum a *Valla* in *Poggium* adversarium scriptorum, et legitur in Edit. *Basil. Opp. Laur. Vallae* 1540. p. 366. f. In cipit: *Audio pogium alteram in me composuisse inuectiuam &c. et finit: sumat alios quoscunque e meis libris. Guar. Placet. Laur. Fiat. Inveftivae Poggii praesto sunt comparare volenti in Editt. ejus Opp. Argent.* 1510. *Paris.* 1511. et 13. et *Basil.* 1538. pauciores vero putem fore, qui *Poggios* se malint esse, quam *Vallas*.

XIII. fol. 141. Adlocutio quae dam Academica ante datam, ut vocant, *Licentiam*, quae incipit: *Cogitanti mibi animoque sollicito reuolenti, redor insignis doctores eruditissimi ceterique mei (magi-*

*stri?) literatissimi, quid cause fo ret, quod iuxta patrum nostrorum gymnasij uetus institutum non licet quempiam gradu sua pericia digno donare, nisi prima uirtutum suarum decantatione laudatus fuerit &c. Omnia sine die et consule.*

## CCCLIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 39 XV. Folior. 39. 4. eleganter exaratus, praeviis *Capitum* 36. Rubricis hoc gaudet miniato Titulo: *Aurelij Augustini Liber insignis ac deuotissimus Soliloquiorum anime ad deum feliciter incipit. De Ineffabili dulcedine Dei Capitu lum I. Nempe: Agnoscam te domine cognitor meus &c. Ut Opp. Aug. edit. Maur. T. VI. Append. col. 85.* Non enim nisi cento est ex *Augustini* et aliorum Scriptis contextus, ut habes ibi in *Admonit.* praefixa. Usque ad fol. 19. Exemplo nostro adpersae sunt ab eadem manu notulae quaedam in commendationem dictorum, inter quas *Statii* versus: *Mille modis miseros homines mors una fatigat.*

## CCCLV.

Codex chartaceus ital. Sec. R. 41 XV. Folior. 66. 4. nitide perscriptus, rubro distinctus, Bibliothecaeque oblatus a. 1721. a F. Thoma M. Alfano O. P. de quo mentio ad *Cassiodori Expositionem Psalmor.* continet I. Versionem Soliloquiorum *Augustino* perperam attributorum hoc Titulo: *Incommenczano li soliloquij de sancto*